

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Disputatio De Harbôt şûrîn h. e. Cultris Saxeis, In
circumcisione a Josua denuo instituta usurpatis, Josuae V,
comm. 2.**

**Abicht, Johann Georg
Sesemann, Johann Philipp**

Lipsiae, 1712

§. X.

[urn:nbn:de:bsz:31-130629](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130629)

taque, quo sensu circumcisio Josuæ secunda vel iterata dicatur? Nobis videtur, quod respiciatur ad circumcisionem in Ægypto factam, non quidem fingimus *solemne* de qua Scriptura S. tacet, sed tantum intelligimus successivam, qua Israelitæ DEI instituto & Jacobi mandato circumcisi sunt pueruli in Ægypto. Sequenti enim commate 4. Josua Lectori in memoriam revocat circumcisionem in Ægypto factam, his verbis: *Hæc vero est causa, ob quam Josua Israelitas circumcidit, omnis populus ex Ægypto egrediens, nempe masculi quicunque ad bellum idonei, mortui erant in deserto in itinere, quo egressi sunt ex Ægypto: Omnia populus exiens circumcisus fuit; omnis vero populus natus in deserto in itinere, quo exirent ex Ægypto, non circumcisus est &c.* Siquidem ipse textus circumcisionem a Josua renovatam, opponit circumcisioni in Ægypto factæ, nulli dubitamus, illam Josuæ renovatam & iteratam circumcisionem dici, respectu scil. prioris in Ægypto peractæ. Considerantur Israelitæ omnes tam qui exiverunt ex Ægypto, quam qui cum Josua ingressi sunt in terram Canaan tanquam unum corpus, de quo primum dicitur, quod in Ægypto circumcisus fuerit; quia vero plurima hujus maximi corporis membra, mortua in deserto, & in eorum locum alia nova substituta erant, secundo dicitur de eodem, quod a Josua denuo circumcidendum.

§. X.

Non ergo opus fuisset, ut Talmudistæ aliud refugium quaesivissent, & hanc iteratam circumcisionem tantum de פריעה *scissione cuticulæ* intellexissent. Audiamus eos Tract. Jebhamoth cap. Haara fol. 71. col. a. אמר רבה בר יצחק אמר רב לא ניתנה פריעה מילה לאברהם אבינו שנא' בעת הדין אמר יהוה אר' יהושע עשה לך חבורת צדים ודלמנ' חנק ודנ' מהור כלל דכתיב כי מולם היו כר' העם היוצאים וכר' העם הילודים במדבר בדרך בצאתם ממצרים לא מל' אמר

אם כן מאי טוב ומאי שנית אלה ראו לפרעה וגו'
 i.e. Dixit Rabba filius Isaac, dixit Rab, non præcepta est scissio cutis
 in circumcisione Abrahamo Patri nostro, quia dicitur Jos. V, 2. Illo
 tempore dixit Dominus ad Josuam: fac tibi cultros petrarum &c. For-
 tasse illi intelliguntur, qui plane non circumcisi sunt, quia dicitur: Cir-
 cumciscus erat omnis populus, exiens, natus vero in deserto in itinere exi-
 tus Aegypti non circumciscus est. Si ita esset, quid sibi vult טוב ש
 שנית iterum, nonne existimas respici ad פריעה scissionem
 cuticulæ? Sic ergo illi existimant, Abrahamo præceptam esse
 circumcisionem, non vero cuticulæ scissionem, quæ demum
 temporibus Josuæ a DEO mandata sit. Sed nugæ sunt. A-
 brahamo DEUS primum circumcisionem injunxit, quis cre-
 deret, eum non docuisse, qua ratione recte & plene perage-
 retur. Et si DEUS voluisset, ut Josua circumcisorum cuti-
 culas tantum scinderet, ipsi non dicendum fuisset כר cir-
 cumcide, sed potius פרע scinde pelliculam. Porro cur in seq. vers.
 4. adderetur ratio, ob quam circumcisio a Josua denuo intro-
 ducenda sit, si Israelicæ non perfecte circumcidendi, sed tan-
 tum eorum scindendæ cuticulæ fuissent. Expresse textus dicit,
 hanc ob causam Josuam populum circumcidisse, quod omnes in
 Aegypto circumcisi in deserto essent mortui, & reliqui in de-
 sertu nati hætenus non circumcisi fuerint. Ex quo patere
 existimamus, hanc circumcisionem denuo restitutam, perfe-
 ctam fuisse circumcisionem. Denique Judæi nondum satis
 probarunt, quod tres circumcisionis partes sint, Scriptura
 certe de scissione cuticulæ, nec non de exsuctione sanguinis
 nil quicquam meminit. Raimundus Martin, Pug. Fidei P. III. Dis-
 fert. III. cap. XI, §. 18. ob sanguinis exsuctionem eosdem mul-
 tum vituperat, eamque divinitus institutam esse negat. Nobis
 idem de cuticulæ scissione videtur, quam Rabbini introduce-
 rant posteriori tempore, ne cutis, quod metuunt, attrahi possit.

§. XI.

Raschius, qui Talmudistarum traditiones ut plurimum
 sequitur, eos quidem in explicatione vocis שנית deferuit,
 sed